

Michael Cobabus Michael Cordes

Disputatio II. Analytico-Theologica, Quae est prima Ex v. 12. Cap: V. Epist: ad Romanos De Modo, Quo Per Unum Hominem Peccatum Introiiit In Mundum, Contra Autorem Exercitat. super v. 12. 13. 14. Cap. V. Epist. D. Pauli ad Romanos; & System: Theolog: de Prae-Adamitarum hypothesi

Rostochi[i]: Richelius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740010646>

Druck Freier  Zugang




RU. Med. 1656. 1657.

Lobatus, Michael
Disputatio II. III.

Vorst. 1. Cordes, Michael

Vorst. 2. Berlin, Protadius



I. N. D. J. C.
DISPUTATIO II.
ANALYTICO-THEOLOGICA,

Quæ est prima
Ex v. 12. Cap: V. Epist: ad Romanos
DE

49
MODO, QVO PER
UNUM HOMINEM
PECCATUM INTROIIT
IN MUNDUM,

Contra

*Autorem Exercitat. super v. 12. 13. 14. Cap. V. Isaaci
Epist. D. Pauli ad Romanos; & System: Theolog:
de Pre-Adamitarum hypothesis,*

Quam

Amplissimæ Facultatis Theologicæ consensu
SUB PRÆSIDIO

DN. MICHAELIS COBABI,

S. S. Theol: Doctoris, & P. P. Dn. Promotoris,
Præceptoris & Fautoris mei ætatem
colendi,

*Ad d. 24. Decemb. horis antemeridianis in Auditorio Majori
publica eruditorum disquisitioni submitto*

MICHAEL Cordes /

Rostochiensis,

✻

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typog. 1656.

I. N. D. E.
DISPUTATIO H.
ANALYTICO-THEOLOGICA

Ex auct. Op. V. Epist. Rostor.
DE

MODUS
UTIUM HOMINUM
PECCATI THEORI

IN MUNICIPIO
Rostor. h. e. s. t. a. t. u. s. p. u. b. l. i. c. u. s.
P. A. U. L. I. F. O. R. M. A. T. I. O. N. I. S. & S. C. H. O. L. A. S. T. A. T. I. S.
de P. r. o. v. i. d. e. n. t. i. a. s. p. e. c. i. a. l. i. t. e. r. a. r. i. u. m.

Quam
A. u. g. u. s. t. i. n. u. s. P. a. u. l. i. n. u. s. T. h. e. o. l. o. g. i. c. e. c. o. n. s. u. l. t. a.
A. N. N. O. 1751

DR. MICHAELIS CORABE
S. S. T. H. E. O. L. O. G. I. C. I. & P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S.
P. R. O. V. I. D. E. N. T. I. A. S. P. E. C. I. A. L. I. T. E. R. A. R. I. U. M.

in h. e. s. t. a. t. u. s. p. u. b. l. i. c. u. s. & S. C. H. O. L. A. S. T. A. T. I. S.

MICHAELIS CORABE
Rostor. h. e. s. t. a. t. u. s. p. u. b. l. i. c. u. s.
P. A. U. L. I. F. O. R. M. A. T. I. O. N. I. S. & S. C. H. O. L. A. S. T. A. T. I. S.

1751
Rostor. h. e. s. t. a. t. u. s. p. u. b. l. i. c. u. s.
P. A. U. L. I. F. O. R. M. A. T. I. O. N. I. S. & S. C. H. O. L. A. S. T. A. T. I. S.
Typis Johannis Rostor. h. e. s. t. a. t. u. s. p. u. b. l. i. c. u. s. & S. C. H. O. L. A. S. T. A. T. I. S. 1751.

Disputatio II, Analytico-Theologica,

Quæ est prima

ex v. 12. Cap. V. Epist. ad Rom.

De Modo, quo per unum hominem peccatum
introiit in mundum.

§. I.

MODUS, per quem peccatum in Respon-
dum introiit, non consistit in reatu, MICT
ex Adami transgressione orti, imputatione: ELE C
sicuti tecum hac in parte sentiunt Ca- Des /
tharinus & Pighius; Neque in imitatione, stochie
quâ peccatum dicitur introire in Adami po-
steros, quando Adamum legem Dei transgre-
dientem imitantur: uti docent Pelagiani
& Anabaptistæ; sed in propagatione, quâ
peccatum per carnalem generationem propagatur, & in omnes homines
transit: veluti docent omnes orthodoxi Theologi, & credit Eccle-
sia sancta Catholica. In reatu, ex Adami transgressione orti, impu-
tatione non consistit, quia hic modus convenit hujus enunciatio-
nis, Peccatum per unum hominem in mundum introiit, neque subjecto
neque predicato, neque enuntiationibus, versu 12. ipsam sequentibus.
Cui addendum, quod nec aliis Scripturæ & locis conveniat, neque Or-
thodoxæ Sanctorum Patrum & Ecclesia Doctorum fidei & sententiæ.

§. II. SUBJECTO non convenit, nam si interrogamus,
quidnam introierit in mundum, respondebis Tu cum Pighio &
Catharino, reatum, qui ortus est ex Adami transgressione, quâ le-
gem sibi à DEO latam transgressus est, in mundum introiisse.
Quid Pighius & Catharinus dixerint, propoluimus præced. Dispu-
tatione, quid tu hinc sentias, nunc audiamus. Parte 1. Syst. Th.
lib. 4. c. 4. p. 252. scribis: *Distincta sunt reatus, imputatus qui est ex*
Adamo, & pravitas naturalis, quæ est ex traduce & propagatione genera-
tur, & cap. eodem p. 262. Ex violata lege ab Adamo prodijt imputatio
F
legalis

legalis reatus Adamici, quæ pervasit in alios omnes homines & c. 5 p. 262. Homo ille per quem peccatum intravit in mundum, non dubio Adamus est, cujus peccatum, peccatum fuit totius mundi, peccatum inquam quod ex transgressione legis toti mundo imputatum est. p. 268. Locutus est propterea Apostolus cap. eodem. non de peccatis illis, in quibus Adamus naturaliter corruptus est, & in quibus homines omnes naturaliter corrumpuntur, sed de una offensa, de uno delicto & de una tantum inobedientia, quæ reatum Adamo, & omnibus hominibus in Adamo, meruit, quæque non actu, sed reatu ab Adamo in omnes homines transit per imputationem. lib. 1. c. 1. p. 2. At quo argumento locutus est Apostolus de peccato Adami illo, quod reatum meruit omnibus hominibus. lib. 1. p. 254. Peccatum certe Adami nihil addidit naturæ hominum peccatrici, præter meritum reatum, qui mysticè intelligi debuit. & c. 2. p. 8. Imputatio mystica peccati Adamici illa est, quæ mystica condemnationis macula omnes homines infecit.

§. III. Ex quibus liquido apparet, tibi non satis constare, quidnam per Adamum in mundum introierit, utrum illud sit ipsum peccatum, vel peccati reatus. Nam parte 1. lib. 4. c. 5, p. 268. dicit, ipsum peccatum per unum hominem sive Adamum in mundum introiisse; in reliquis locis paulò ante à nobis allegatis docet, reatum ab Adamo in omnes homines transisse per imputationem. Num itaque arbitraris, perinde esse hoc loco dici: Peccatum per unum hominem introit in mundum, & peccati reatus per unum hominem in mundum introit. Absit: quia peccatum non est reatus, neque reatus est peccatum, quod prob. seq. Enthymemate.

Reatus potest separari à peccato.

E. Reatus non est peccatum.

Antecedens probamus: Nullus reatus est in justificatis.

E. Reatus potest separari à peccato.

Antecedens prob: Quia nulla condemnatio his, qui insiti sunt Christo Jesu, qui non juxta carnem versantur, sed juxta Spiritum Rom. 8, 15. ubi (1.) per condemnationem intelligitur reatus, vel quod idem est, obligatio ad condemnationem, quæ in justificatis nulla est; illi enim ex fide pacem habent cum Deo per Dominum nostrum Jesum

sum Christum: illi per eundem Dominum nostrum Jesum Christum adducti sunt in gratiam Dei, in qua stant, & gloriantur sub spe gloriæ. Illi non tantum gloriantur sub spe gloriæ Dei, sed etiam gloriantur super afflictionibus. (2.) Per illos, qui Christo sunt infusi, intelliguntur justificati, quia hi soli Christo sunt implantati, & non juxta carnem ambulant, sed juxta Spiritum, unde Augustinus in h. l. lib. 1. de nuptiis c. 32. p. 128. *Nulla ergo, inquit, condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Jesu: etiam nunc, quando lex in membris repugnat legi mentis, & captivum aliquid tenes in corpore mortis hujus. Nulla condemnatio est iis, qui sunt in Christo Jesu. Audi quare? Lex enim Spiritus vita, inquit, in C. 7. liberavit me à lege peccati & mortis. Liberavit, quomodo? nisi quia ejus reatum peccatorum omnium remissione dissolvit &c. Consequens probatur; quia omnes justificati habent peccatum, quod prob. (1.) testimonio Johannis in 1. Ep. cap. 1. v. 8. docentis. *Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipsos fallimus & veritas non est in nobis.* (2.) Exemplo Pauli Apost. expressè confitentis, quod etiam ipse justificatus peccatum habeat, quamvis illi non serviat, dicit enim *at ego carnalis sum venditus sub peccatum.* Rom. 7, 14. *Nunc autem ego jam non perpetro illud &c. v. 17. novi enim quod non habitat in me, hoc est in carne meâ, bonum. v. 18.* Quod exemplum repræsentat omnes justificatos. Illi enim omnes ajunt siacero pectore: nos non servimus peccato; nos non sumus servi peccati; nos non juxta carnem ambulamus &c. Cum Paulo verò & Johanne, sanctis illis Apostolis, confitemur uno ore & dicimus: *Nos omnes habemus peccatum, si enim diceremus, quod non haberemus peccatum, nosmetipsos deciperemus & veritas non esset in nobis.* Nam solus Christus Salvator noster potuit dicere, *quis potest me arguere peccati.* Pro summo itaque Pharisaorum, & magno hypocritâ illum habemus & agnoscimus, qui dicit, quod sit justificatus, & non habeat peccatum, ipse enim non tantum non habet peccatum, sed etiam ipsi turpissimè servit & ministrat. (3.) Testimonio Augustini Tom. 7. part. 2. lib. 1. de nuptiis & concupisc. ad Valer. p. 124. dicentis. *In eis ergo, qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus**

etiam huius licet adhuc manentis concupiscentie, remittatur, ut in peccatum, sicut dixi non imputeur. & lib. de natura & gratia: contra Pelag. p. 42. ipse Hilarius cum locum Psal. 118. exponeret, ubi scriptum est; speravisti omnes discedentes à iudiciis tuis, ait, si enim Deus peccatores sperneret, omnes utique sperneret, quia sine peccato nemo est. Sed spernit discedentes à se, quos Apostatas vocat. Videtis quemadmodum non dixerit, quia sine peccato nemo fuerit tanquam de præteritis lovens sed quod sine peccato nemo sit, unde quidem ut dixi non attendo. Quisquis enim non cedit Johanni Apostolo, qui nec ipse ait: si dixerimus, quia peccatum non habuimus, sed non habemus, Episcopo Hilario quo modo cessurus est?

§. IV. Si itaque effectus non est causa, neque causa est effectus, reatus quoque s. obligatio ad pœnam non erit peccatum, neque peccatum erit reatus. Concedimus quidem, quod per Metonymiam causæ pro effectu, peccatum possit poni pro reatu, & per Metonymiam effectus pro causa, reatus possit poni pro peccato; sed utrum ejusmodi Metonymia hîc locum inveniat, de eo nunc erit quæstio. Nos illud negamus, quia (1) nulla necessitas hîc postulat, ut à propria significatione vocis peccati recedamus (2) ipse textus non admittit, ut peccatum in hac enunciatione, peccatum per unum hominem in mundum introiit: explicetur per Metonymiam causæ pro effectu, sed potius requirit, ut in propria significatione accipiatur, sicuti illud mox declarabitur. *Alia* itaque enunciatio est, peccatum per unum hominem in mundum introiit; & *alia*, Reatus, ortus ex transgressione Adami, in mundum introiit per imputationem. Prior est Spiritus S. per Apostolum ita loquentis: posterior est tua; utraque vera esse non potest; Spiritus S. autem est vera: tua igitur est falsa; quod erat demonstrandum.

§. V. PRÆDICATO Quod est: *Per unum hominem in mundum introiit*, non convenit. Quia (1) peccatum per unum hominem in mundum introiit, non quatenus est homo, sed quatenus est homo peccator, non itaque dicit Apostolus, sicut per unum hominem transgressio illa unius hominis in mundum introiit. Sed sicut per unum hominem

hominem i. e. unius hominis transgressionem peccatum in mundum introiit. Hoc modo ipse Apostolus illud declarat v. 18. ubi illud, per quod peccatum originale in mundum introiit, ponitur explicitè, & dicitur *παρὰ τὴν ἁμαρτίαν* notans transgressionem legis divinæ, factam ab Adamo in Paradiso. Ipsum autem peccatum, quod per transgressionem Adami in mundum introiit, ponitur implicitè; siquidem v. 12. explicitè erat positum, & v. 19. ubi non dicit, quemadmodum per unum hominem peccatores constituti sunt multi; sed quemadmodum per unius hominis inobedientiam, & transgressionem peccatores constituti sunt multi. Distingvit itaque h. l. Apostolus, inter peccatum primum & ex primo ortum. Peccatum primum, ut non confundatur cum peccato ex primo orto v. 18. *παρὰ τὴν ἁμαρτίαν* vocat, & v. 19. inobedientiam Adami: peccatum verò ex primo ortum v. 12. appellat peccatum; quam distinctionem noster Mentzerus nobis exposuit in *Exeg. Aug. Confess.* (2) Introiisse dicitur peccatum non propriè, illud enim neque it, neque introit, sed per Metaphoram, quæ est desumpta à rebus animatis, quibus peccatum factum est simile, quando per transgressionem Adami, tanquam apertam januam & viam patentem, sine ulla Adami resistantia, in mundum, i. e. in omnes homines introiit. Quemadmodum igitur introitus rei animatæ, quando ingreditur domum, domui non imputatur; reverà enim introit, reverà quoque à domo est recepta; ita quoque introitus peccati, quando illud introit in mundum i. e. in omnes homines, non potest esse fictus per fictionem juris vel mysticam, neque omnibus hominibus nudè imputari; verissimè enim introit, verissimè quoque ab omnibus hominibus, tanquam à suo (post lapsum Adami) proprio domicilio recipitur. (3) In mundum introire, & mundo imputari non possunt esse eadem; quia hoc distinguitur ab illo, tanquam posterius à priori; Rectè quidem dicitur, peccatum præcedit, peccati imputatio sequitur; minus autem rectè; peccati imputatio præcedit, & peccatum sequitur; nam imputatio peccati præsupponit peccatum. E quibus est manifestum, aliud prædicatum, quod hoc loco dicitur de peccato, esse Spiritus Sancti, &

Apost. Pauli; aliud verò esse tuum. Utrumque igitur verum esse non posse: sed Spiritus S. est Spiritus Veritatis, qui nos per suos Prophetas & Apostolos ducit in omnem veritatem. Tu verò es homo, de quo scriptura dicit, quod sit mendax; quare Spiritus S. prædicatum est verum, tuum autem non est verum; quod erat probandum.

§. VI. Tribus ENUNCIATIONIBUS vers. 12. subsequentibus non convenit, quarum Prima est: *Mors per peccatum in mundum introiit.* Secunda est: *Mors sic etiam in omnes homines pervasit.* Tertia est, *quia omnes homines peccarunt.* PRIMÆ non convenit; nam in illa reatus quidem non separatur à peccato, quia subiectum peccati hic non sunt justificati, sed mundus i. e. omnes homines, quatenus sunt in Adamo (non verò in Christo) & in peccato nascuntur: distinguitur autem à peccato, quia per mortem hic intelligitur (1) reatus s. obligatio ad pœnas spirituales & corporales, (2) ipsa pœna, reatum vel obligationem ad pœnam immediate sequens; per peccatum verò intelligitur reatus atque pœnarum spiritualium & corporalium causa. Nam si per peccatum in enunciatione; *Peccatum per unum hominem in mundum introiit*: intelligeretur reatus ex Adami transgressione ortus, sive effectus peccati, & per mortem in Enunciatione: *Mors per peccatum in mundum introiit*, etiam intelligeretur reatus s. effectus peccati. Enunciatio hæc, *Mors per peccatum in mundum introiit*, ita esset exponenda: Reatus per reatum in mundum introiit, & sic non tantum idem per idem in mundum introiisset, sed etiam effectus esset causa, & causa esset effectus, quod est falsum.

§. VII. SECUNDÆ non convenit, quæ est: *Mors sic etiam in omnes homines pervasit*; Quæ enunciatio planè non admittit nudam illam imputationem, quippe in qua vox *pervasit* valdè signanter notat & monstrat, peccatum Orig. in Adami posteris esse corruptionem naturæ in omnibus hominibus, quam corruptionem, per peccatum Orig. factam sequitur ipsa mors; quæ cum sit corporis & animæ, Paulus h. l. per illam exprimit omnes pœnas spirituales & corporales: Morti enim ut uni pœnæ adherent

rent multæ aliæ, ut privatio imaginis Dei, amissio primæ justitiæ & sanctitatis; concupiscentia, nunquam esse absqve peccato, peccatum, peccato servire, subjectio sub tyrannidem Diaboli, infernus, condemnatio, privatio veri intellectus in rebus spiritualibus, vel cecitas spiritualis, ignoratio Dei, contemptus Dei, vacare metu & fiducia Dei, odisse iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, irasci Deo, habere fiduciam rerum præsentium. Quibus addi debent pœnæ corporales, quales sunt angustia & dolor pariendi in fœminis, labor manuum in sudore vultus, mors corporalis, pluresq; aliæ ærumnæ & infelicitates hujus vitæ. Aliter igitur Spiritus S. per Apostolum docet, aliter verò tu doces, Spiritus S. docet.

Mors non introit in mundum per imputationem.

E. Peccatum vel reatus peccati non introit in mundum per imputationem.

Antecedens prob. quia per mortem intelligitur mors spiritualis & corporalis, peccatum Orig. sequens; si itaqve mors corporis nobis non imputatur, sed trahitur ex impuro semine, & per illud propagatur, mors etiam spiritualis non nudè imputabitur, sed etiam per peccatum Orig. propagabitur. Nam mors spiritualis & corporalis hic sunt paria, & habent eandem probabilitam. Quod igitur uni parium non convenit, illud quoque non convenit alteri; & quod uni parium convenit, illud quoque convenit alteri. Si dices: Apostolum hic non loqui de morte corporis, sed de morte spirituali, petimus respondeas ad hanc quæstionem Augustini, quam proponit Tom. 7. part. 1. lib. 1. de peccatorum meritis p. 808. Quid est ergo, quod hic ait Paulus 1. ad Corinth. cap. 15. per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum? Si negabis etiam hic intelligi per mortem, mortem corporis, respondebit tibi l. cit. D. Augustinus. Ait Paulus ad Rom. per unum hominem peccatum introit in mundum, & per peccatum mors, hanc illi mortem non corporis, sed anime mortem intelligi volunt, quasi aliud dictum sit ad Corinth. Per hominem mors, ubi omninò anima mortem accipere non sinuntur, quia de resurrectione corporis agebatur, qua morti corporis est contraria. Ideo etiam sola mors
ibi per

*ibi per hominem facta, commemorata est, non etiam peccatum, quia non agebatur de iustitia, quæ contrariatur peccato, sed de corporis resurrectione, quæ contraria est corporis morti. Consequens prob. quia sicuti mors introiit in mundum & in omnes homines pervasit, ita quoque peccatum in mundum introiit, quod probat particula *etiam* in Enunciatione *Mors sic quoque in omnes homines pervasit. Tu verò doces**

Mors introiit in mundum, & pervasit in O. homines per imputationem.

E. etiam peccatum in mundum introiit per imputationem. Probas verò nec Antecedens nec Consequens, uti postea videbit; Spiritus S. verò per Apostolum tuum argum. invertit & docet:

Peccatum non introiit in mundum per imputationem.

E. mors quoque non introiit in mundum, neque in omnes homines pervasit per imputationem.

Antecedens satis antea est probatum. Consequens probatur: quia Apostolus non dicit simpliciter; Et mors in omnes homines pervasit, sed mors sic quoque in omnes homines pervasit, ubi particula SIC infert respectum ad modum, per quem peccatum in mundum introiit, ut ostendatur, eodem modo pervadere mortem in omnes homines, quo peccatum introiit in mundum. Si itaque peccatum non introiit in mundum per imputationem, uti antea probavimus, etiam mors non pervasit in omnes homines per imputationem, quod erat demonstrandum.

§. VIII. TERTIÆ non convenit, quæ est: *quia omnes homines peccarunt* i. e. omnes homines suâ culpâ sunt peccati rei, sunt peccatores, peccatum habent. Nam si omnes homines peccarunt, omnes homines quoque peccatum Orig. habebunt, quia peccare, & peccatum habere sunt conjugata. Si itaque unum conjugatorum, puta peccare, dicitur de omnibus hominibus, etiam alterum conjugatorum, puta peccatum habere dicitur de omnibus hominibus; nam de quo dicitur unum conjugatorum, de eo quoque dici debet alterum; Si igitur Spiritus S. per Apostolum docet, quod omnes homines suâ culpâ rei facti sint & peccatum habeant.

Quæ

Quâ ratione tu doces, quod suâ culpâ non sint rei facti, sed culpâ solius Adami, & quod non habeant peccatum, sed reatus ex transgressione Adami ortus, illis duntaxat sit imputatus. Nam longè aliter ipse Spiritus S. v. 19. illud omnes peccarunt declarat, quàm tu exponis. Ibidem docet, quod per inobedientiam unius hominis peccatores multi, i. e. omnes facti & constituti sunt. Tu verò doces, quod saltem unius hominis peccati reatus omnibus hominibus sit imputatus, quæ Enunciationes cum simul veræ esse non possint, Tua rursus erit falsa, Spiritus S. autem erit vera, quod erat dicendum.

§. IX. ALIIS SCRIPTURÆ LOCIS non convenit, quia illa testantur, quod modus iste quo per unum hominem peccatum in mundum introit, consistat non in imputatione, sed in propagatione, sicuti infra illud declarabitur. in Disp. seq.

§. X. SENTENTIÆ PATRUM & Orthodoxorum Theologorum non convenit; Illi uno ore contrarium docent. Tertull. libr. 1. de testim. animæ adversus gentes c. 1. p. 85. inquit, *Satanam denique in omni averfatione & aspernatione & derestatione pronuncias, quem nos dicimus malitiam Angelum, totius erroris artificem, totius seculi interpeccatorem, per quem homo à primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit, &* lib. de patientia p. 130. quid quod non sustinuit sola (puta Eva) contenta, sed apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentem usum imputari: etiam excendi est? ac traducem illum ejus, quod à malo hauserat, facit. D. Ambrosius in cap. V. Epist. ad Rom. *Manifestum itaque est, in Adam omnes peccasse, quasi in massa, ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati sunt sub peccato; ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex ipso sumus omnes.* Horum Authoritas tibi sufficiet, quamdiu non nominantur Theologorum illi antesignani, de quibus scribis part. 1. Syst. Th. lib. 5. c. 5. p. 268. *Proficientur Theologorum antesignani, D. Paulum propriè egisse cap. illo V. ad Rom. de reatu & imputatione peccati Adamici, & consideravisse peccatum, non quatenus fontem corruptionis humanae, sed quatenus Adamum & in illo homines*

homines omnes reatu eodem involvit, non enim scripsisse Apostolum, homines fuisse corruptos in Adamo, sed in illo peccavisse, peccavisse in Adamo per imputationem, non ex illo per propagationem: peccavisse in Adamo virtualiter, non virtute seminis, sed virtute imputationis. Citantur quidem eadem & subsequenti pag. tres Theologi: Primus non nominatur, sed dicitur esse egregius Theologus. Secundus est Cardinalis Bellarm. Tertium vocas celeberrimum Gamacheum Sârbonicum. Si verò voluisses nominare ad stipulatores tuæ sententiæ, debuisses citare non eos qui tibi, sed Ecclesiæ Christi sunt Theologi egregii, & antesignani. Nicodemus Judæis erat Theologus egregius & Antesignanus, erat ipsorum Princeps, erat Rabbi in Israel, verum nostro Dn. Jesu Christo & ejus Ecclesiæ, nondum erat infans, in quæstionibus de peccato Orig. & hisce similibus. Si itaque vis citare Theologos egregios & antesignanos, nomines illos sententiæ tuæ defensores, qui per multa secula Ecclesiæ Christi fuerunt noti, & quorum scripta Christiani & Orthodoxi Theologi in sinu gestant. Satius autem fuisset ut istius loco, quem egregium vocas Theologum citasses Nicodemum, nam de egregio illo Theologo scribis l. c. *Ratione naturali inquit constare non potest, homines omnes, imo neque dum natos peccavisse in Adamo, nisi Adamus supponatur in esse morali fuisse caput totius humane nature.* Nicodemus enim brevius & nervosius respondisset, *Quomodo possunt hæc fieri!* Forsitan autem citas verba istius Theologi, quem nos non novimus, sicuti hæreticus solet citare scripturam: Quod nos non diceremus, nisi Cardinalis Bellarm. citatio te reddidisset suspectum. Quamvis enim ille noster non sit, refert tamen memorare, quod malè sit allegatus, quippe qui expressè scribit Tom. 3. lib. 5. de amiss. grat. c. 6. p. 376. quod *sententia de imputatione peccati, quæ tua est, & olim erat Pighii & Catharini, à Concilio Tridentino sit damnata;* quamvis Andradius, sicuti noster Chemnitius demonstrat, aliter de illis, dubio procul, fenserit & scripserit.

§. XI. Antequam verò pergimus ad secundum modum, lubet audire, quoniam tua de peccati imputatione nitatur fundamento, aliud neque in Exercitatione tua, neque in toto System.

tuo

tuo Theol. reperire potuimus, quam quod sequens continet Enthymema:

Modus, quo dicitur peccati reatus ex transgressione Adami ortus introiisse in mundum per imputationem, convenit 1. fictioni juris, quâ fingitur, illos omnes peccasse, quibus alterius delictum imputatur, quando ipsi revera non deliquerunt. 2. Scripturæ exemplis.

E. reatus ex Adami transgressione ortus in mundum introiit per imputationem.

S. XII. Antecedens satis quidem prolixè, sed frustra narras, cum in Exerc. tum in Syst. tuo Th. In Ex. c. 24. p. 48. dicis. Neque verò necesse fuit omnes homines duxisse Originem ab Adamo, ut censerentur omnes peccavisse in Adamo, vel ut eis, peccatum Adami imputaretur. Vitium imputationis s. imputatio ipsa peccati Adamici, quæ purè est intellectualis, emanavit à transgressione legis, quam Adamus violavit, nulla adhibita generatione naturali, &c. ita quando in Domini servit in 60000. Judæos propter peccatum Davidis: putandumne ergo fuit, Judæos illos oriundos ex Davide, ut eis peccatum Davidis imputaretur? neutiquam, imo illis peccatum Davidis imputatum fuit, quatenus David Princeps eorum & caput erat; quo nomine referebat populum omnem Judaicum; & quæ ratione populi dicuntur plecti propter deliramenta suorum Regum. In Syst. Theol. parti. I. l. I. c. 2. p. 8. scribis; imputatio ex alieno delicto, mera est juris fictio extra Theologos: apud Theologos mera est ratio mysterij, quod exemplo accommodatissimo aperiam. Juratus Rex Judæorum Sedecias fidem fefellerat Regi Assyriorum, imputata fuit fraus illa Regis Jud. Judæis omnibus; qui pejerasse reputati sunt in perjurio sui Regis, fictione illa juris gentium, quæ putantur populi delinquere in delictis suorum Regum &c. C. 3. p. 13. 14. duplicem atque putabimus mortem in omnibus hominibus, qualem & duplicem in Adamo concepimus: naturalem, quæ naturaliter omnibus hominibus contingit ex innata sua sibi natura corruptibili & mortali: legalem, quæ mysticè homines omnes percussit momento illo, quo in Adamum decreta est. lib. V. c. 1. p. 241. justus est & juridicè agit Deus cum hominibus; nihil autem contra Deum peccaverunt homines, cum fervor illa pectoris, qui homines tentat, naturæ imperfe-

imperfecta corruptela, rapuerat eos in praecepta à perfecto creationis, ad imperfectum materia sua; nullus utique censeri poterat reatus à Deo iudice, nulla legitima decerni damnatio, nulla mors iudicè infligi hominibus, ex deflexu illo solo, quo homines sui juris ante legem, & nullo mandato cohibiti; conversi fuerant à rectitudine creati nis divinae in pravam figmenti sui & c. pag. eadem, Neque nasci necesse erat h. mines omnes ex Adami traduce, ut in illo peccarent, totum illud mysterium salutis & damnationis hominum, in Christo & Adamo perfectum mysterium ipsum. i. e. spiritualis & divinae ratio, quae supra naturam fuit, quaeque omnibus hominibus intellectu & mysterio, non naturam ingeneratur. pag. 242. facilius autem vim illius mysterij concipiet, qui intellexerit rationes fictionum juris, quae juris fuerunt mysteria: & c. pag. eadem. Vocaverunt verò lubens mysteria illa, vel fictiones sacras, vel parabolas & similitudines. cap. 2. p. 244. 245. 246. Imputatur porro peccatum personae unius personae alteri, quae illi communionem quadam juncta est: ita ut habeat cum illa cuiusdam corporis & societatis rationem & similitudinem. Quis enim fumus ignis ad motus concipit flammam propter similitudinem & aptitudinem, quam habet fumus ad flammam: tales etiam communionem & conjunctionem inter se res affectatae suscipiendis imputationibus idoneae sunt; propter similitudinem & aptitudinem, quam illae ad has habent. Communiones & conjunctiones rerum propter suam similitudinem imputationibus habiles, triplices sunt: Physicae, politicae, & mysticae. Imputatur filiis Patrum suorum crimen; propter communionem & similitudinem physicam, quae filij Patribus suis geniti cum illis physice & naturaliter conjuncti sunt & c. exempla verò tum divina tum humanae praestant flagitiorum Patrum filiis suis adscriptorum. Luculentum inter divina illud est: Septem filiorum Saal; quos respondente & iubente Deo David piaculares invidie in manus Gabeonitarum; qui illos crucifixerunt in monte coram Domino, ait Samuel; quia Saul Pater eorum fidem olim fefellerat Gabeonitis, & plures eorum crudeli exemplo trucidaverat. Eggit verò Alexander velut istorum publica securitatis; Tyro expugnata cruci affixisse Tyros omnes praeterstitos praevius & mancipiis illis editos, qui longo ante tempore populum viderem Tyri liberum, cum Dominis, immaniter, & conspiratione facta interfecerant. Imputavit Deus populo

populo Judaico, numerationem, quam jusserat David & septuaginta eorum millia peste consumpsit propter peccatum Regis sui: ratione illa communionis & conjunctionis politica, qua regnum totum res quadam unica & continens censetur; animalis instar, cujus caput Rex est &c. Ita propter violatum ab Agamemnone Sacerdotem Apollinis totus serè Græcorum exercitus pestilentia exhaustus est: & quicquid delinbant Reges, Aethivi plectebantur. Neque solum quod facit Civitatis caput, sed quod peccat corporis illius membrum aliud, populum omnem reatu obstringit. Quale de Achan legitur, qui de anathemate usurpaverit, & in cuius sacrilegio totus Israel peccavisse dicitur Jos. 7. nec non quod scriptum est Jud. 19. De Concubina Levita quam habitatores Gaba de tribu Benjamin, usque ad mortem moluerant, quorumque flagitium toti tribui ad rigorem adeo imputatus est, ut tota tribus propter illud nefas extincta & deleta pene fuerit. pag. ead. imputationum quæ propter alienum peccatum ex communicatione politica contrahuntur; alia sunt juris gentium, juris civilis alia. Imputatum fuit jure gentium Judæis omnibus Sedecia Regis sui perjurium, propter quod victi & dediti Babylonem captivi ducti sunt. Jure eodem gentium imputatur Reipub. aut regno, quicquid legati eorum transegerunt: tam obsidibus quicquid patitur ab eis, qui eos dedere obsides. Imputatur de jure civili toti populo, quicquid Syndicus egit pro populo: mandatoribus, quicquid gessere Procuratores, vel Defensores eorum: municipio & collegio, quicquid actores municipij & collegij, pro illis advocaverint. Pupillis porro & minoribus imputatur, quicquid tutoribus & curatoribus suis auctoribus in illos judicatum est. pag. 147 Sunt & corpora mystica, quæ propter communionem & similitudinem mysticam suas sibi imputationes alliciunt. Tale illud est corpus mysticum; quo homines omnes propter suam cum Christo similitudinem quodam veluti ferrumine mystico cum illo conjunguntur &c. talis & illa est communio; & Societas mystica, propter quam fides Abrahami imputata fuit fidelibus omnibus, & filij Abrahami dicti sunt fideles omnes non filij nature, sed filij adoptionis & similitudinis mysticæ, quæ naturam imitata est. Secundum eandem omnino communionem & societatem mysticam imputatum fuit peccatum Adami omnibus hominibus. Quamvis enim formatus fuerit Adamus, ipsissimis Dei manibus, formatione præter alios homines peculi-

ari & electa: compegerunt tamen ille Deus, quod alias notavi, eodem luto, eadem terra communi, nec non eadem materia corruptioni obnoxia, qua ceteri homines subacti sunt, & per omnia similis factus est Adamus omnibus hominibus cum peccato ipso, imo quatenus peccatum vitium fuit naturale inherens & proprium Adamo ipsi, utique & omnibus hominibus. tum quatenus propter illam communionem & societatem peccati idonei fuere homines suscipienda imputationi, ex transgressione Adamicâ.

§. XIII. Prius nunc cuius est obvium, quis enim primo intuitu vel ex illis, quæ à nobis citata sunt, non satis perspicit & animadvertit, quod antecedens prolixè sit relatum; posterius quoque est clarum & manifestum. Frustra enim omnia referuntur; Tantum enim abest, ut aliquem commoveant, qui tibi de fictione juris, ejusque exemplis prolixè differenti habeat fidem: ut etiam tua, de imputatione peccati Adami sententia reddatur suspecta, imò planissimè destruat & infringatur. Consulamus itaque Ictos, qui de fictione juris solent differere. Necessè autem erit, ut hic casus fingatur: nam si dicemus, quæstionem esse de transgressione Adami in Paradiso facta, respondebunt, quæstionem illam non ad se spectare, sed ad Theologos. Quæritur igitur, utrum per fictionem juris possit judicari, quod reatus criminis ab homine aliquo commissi in America, possit imputari omnibus in Europa habitantibus, sive illi descendant à Judæis, sive à Gentibus, etiam illis, qui ante illum Americanum, à multis retrò seculis in Europa sunt mortui & jamdudum in cinerem redacti. Icti illud simpliciter negant, quia inter illum Americanum & universæ Europæ cultores, qui vel descendant à gentilibus, sive à Judæis, nulla est communio, nulla societatis ratio, nulla conjunctio, propter quam reatus criminis illius hisce imputetur. Tu verò dicis, communionem & societatem hic esse, nam part. 1. Syst. lib. 5. c. 2. p. 247. scribis: *quamvis enim formatus fuerit Adamus ipsissimis Dei manibus, & cetera*, quæ à nobis in fine præced. §. sunt citata. Icti incipiunt ridere. Tu verò pergis & distingvis inter communionem naturalem, civilem, & mysticam, & ais: Communionem illam non esse naturalem, neque civilem, sed mysticam & spiritalem,

nam

nam pag. 247. dicitis: *Sunt & corpora mystica, quæ propter communio-
nem & similitudinem mysticam suas sibi imputationes alliciunt.* Jcti
ablegant te ad Theologos & ajunt, sibi non esse integrum, ut ad
illa respondeant.

§ XIV. Theologis proponitur quæstio, *utrum per fictionem
juris mysticam imputetur Adamus peccator omnibus hominibus, & Ada-
mi coætaneis, & natis ante Adamum, à temporibus æternis, etiam illis,
qui post Adamum nati sunt, nec non in finem seculorum nascuntur:*
Theologi omnes respondent, ejusmodi quæstionem neque in V.
neque in N. T. esse propositam, neque unquam proponi potuisse
& debuisse. Tu verò ita argumentaris:

Christus imputatus est omnibus hominibus.

E. Adamus imputatus est omnibus hominibus.

Antequam verò respondemus, quæritur An Antecedens sit Enun-
ciatio propria vel figurata. Si dicitis quod sit propria, cur eam re-
solvis, & dicitis Exerc. c. 24. p. 50. *Christi obsequium, quo vicem Ada-
dami persavit, imputatum fuit omnibus hominibus præteritis, presenti-
bus, & futuris.* p. 1. Syff. Theol. lib. 5. c. 2. p. 247. *Mors Christi ratione
communione, & societatis mystice omnibus hominibus imputari valet;*
p. 249. *Christus imputatus est omnibus hominibus propter Justitiam.*
p. 255. *Mors Christi adscribi, & applicari debuit tum Adamo tum omnibus
hominibus.* c. 6. p. 271. *Justitia Christi imputatur hominibus?* An arbitraris
quòd Mors Christi, & Justitia Christi cum ipso Christo sunt unum
& idem? Quod cum dici nequeat, necesse est, ut concedas, effe-
ctum Christi hoc loco confundi cum sua causa vel subjecto, nisi
statuatur, quod Antecedens sit Enunciatio figurata in qua causa
posita est pro suo effectu. De Christo quidem dicitur, quod mun-
do sit datus Joh. 3. 19. Sit agnus Dei, qui tollit peccata mundi,
Joh. 1. 29. Servator mundi, Johan. 4. 42. pro omnibus mortuus
2. Cor. 8. 14. Si verò quæritur, quidnam nobis imputetur in divi-
næ justificationis actu; Apostolus distingvit inter ipsum subje-
ctum vel potius causamputà Christum, & illius effectum. Non
dicit quòd Christus nobis imputetur, vel imputatus sit; sed quòd
nobis imputetur illius effectus qui est i. impletio legis divinæ, cui
obnoxius

obnoxius factus est Christus, ut eos, qui legierant obnoxii, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus Gal 4, 4. 5. 2. Illius passio & mors, Christus enim sese exinanivit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis Phil. 2, 8. Pro impiis mortuus est Rom. 5, 6. occisus est, & redemit nos per sanguinem suum Apoc. 5, 9. redemit Ecclesiam suo sanguine Act. 20, 29. Hanc legis impletionem pro nobis factam in Ecclesia Christiana vocamus obedientiam Christi activam; Passionem vero & mortem Christi obedientiam illius passivam. Paulus utrumque conjungit & vocat justitiam Christi, id est à Christo præstitam nobisq; acquisitam Rom 5, 18. Justitiam Dei, id est, quæ coram Deo valet cap. 1, 17. c. 3, 21. c. 10, 3. Justitiam fidei, id est, quæ fide apprehenditur, & ad justitiam credentibus imputatur Rom 4, 13. c. 9, 30. c. 10, 6. justitiam Evangelii, id est, quæ in Evangelio est revelata Rom. 1, 17.

§. XV. Relictâ itaque Enunciatione figuratâ, propria assumenda erat, ut veritas rei manifestetur; assumamus itaque illam, quam proponis part. 1. System. Theol. lib 8 C. 6. p. 271. *Justitia Christi, quæ mors Christi est imputatur omnibus hominibus.* Hic rursus quæritur, an sit propria vel figurata. Si dicis, propriam esse: *Justitia Christi imputatur omnibus hominibus.* Cur subjectum determinas per voces, quæ mors Christi est? Nam justitia Christi, quæ nobis imputatur, non tantum est obedientia Christi passiva, ut Christi passio, & mors, sed etiam obedientia Christi activa, ut legis impletio pro omnibus hominibus facta. Nisi itaque dixeris, quod in hujus enunciationis subjecto sit Synecdoche partis pro toto, ex parte imitaberis Piscatorem Herbornensem, qui asserbat Christum solâ mortis obedientiâ nobis acquisivisse, & meritum esse justificationem. Percipe igitur, quid tibi respondeat optimus noster Chemnitius. *Non autem, inquit, in Examine decreti Concilii Tridentini p. 327. Commisissimus hanc sententiam, quod Christus Mediator legem satisfactione pœnarum plenissima obedientiâ perfectissimâ pro nobis impleverit, & quod illa justitia mediatoris credentibus imputetur, ut eâ justificentur coram Deo ad vitam eternam, sed hæc est propria, & perpetua Evangelij doctrina, cujus aliquid tantum*

tantum illustres sententias annotabimus Gal. 4. Christus nos redemit de maledictione legis factus pro nobis maledictum: ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu. Audis gentes assequi benedictionem, quæ à maledictione liberentur propter redemptionem Christi, quæ pro nobis factus est maledictum, & Gal. 4. Deus misit filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret: ut adoptionem filiorum reciperemus. Adoptamur igitur in filios propter satisfactionem & obedientiam Christi Rom: 8. Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, DEUS misit filio suo in similitudine carnis peccati de peccato damnavit peccatum, ut justificatio legis impleretur in nobis cap. 10. Christus est impletio legis ad justitiam omni credenti. Non itaque restringenda erat justitia Christi, sicuti tu facis in hac Enuntiatione: Justitia Christi, quæ mors Christi est, imputatur omnibus hominibus. Ipse enim singula legis moralis præcepta perfectissimè nostri loco implevit. Legi enim subditus factus, non quia ipse, quicquam legi deberet, qui unus est legislator & judex, sed ut eos, qui sub lege positi, legis onera portare nequiverant, suâ compassione juvaret, ac de servili conditione, quæ sub lege erat ereptos in adoptionem filiorum, quæ per gratiam est, suâ largitate deduceret. Factus itaque est sub lege dicit Paulus, ut eos, qui sub lege erant redimeret, id est, ut à legis servitute liberaret, sicut & mortem subire dignatus est, ut eos, qui mortis dominium evadere non poterant, à morte redimeret.

XVI. Subjecto, quod imputatur omnibus hominibus, cognito, quæritur, cui nam illud imputeretur; Apostolus respondet: Justitia verò DEI per fidem JESU CHRISTI in omnes, & super omnes, qui credunt Roman: cap. 3. v. 22. & cap. 4. vers. 4. Ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat, impium, imputatur fides sua ad justitiam, quod eodem Capite probat Exemplo Abrahæ, & Testimonio Davidis. Subjectum itaque cui imputatur justitia CHRISTI sunt illi, qui fatentur (1) se esse peccatores. Nam non est distinctio, omnes peccaverunt, Rom: 3, 23. Concluserunt Scriptura omnia sub peccatum, ut

H

promis-

promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus Gal: 3, 22. *Quicumq; autem, inquit D. Augustinus lib: de natura & gratia contra Pelagianos pag. 4. non putantur pertinere ad hos omnes, qui peccaverint, & egent gloria Dei, profecto nullam necessitatem habent, ut Christiani fiant, quia non est opus sanis medicus sed aegrotantibus, venis itaq; non vocare justos, sed peccatores.* (2) Se per naturam & legem non posse admirari ad gratiam Dei. Etenim, si illi, qui ex lege sunt, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio, nam lex iram operatur Roman: cap. 4. v. 14. & 15. Non justificabitur ex operibus legis omnis caro, Galat: cap. 2. v. 16. Nam quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxii: Scriptum est enim, execrabilis omnis, qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea: quod autem in lege nullus justificetur, palam est, siquidem justus ex fide vivet, Galat: cap. 3. v. 10. & 11. Si data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia, sed conclusit &c. v. 21. & 22. Per naturæ igitur vires & legem nemo hominum post lapsum ad DEUM potest accedere: Christus enim cum adhuc essemus infirmi, & absque viribus, per quas admitteremur ad DEUM, pro impiis est mortuus, Rom: 5, 6. Quod loco citato optimè declarat B. August: dicens: *Ac per hoc natura humani generis ex illius unius peccatoris carne procreata, si potest sibi efficere ad impleendam legem perficiendamq; justitiam de premio debet esse secunda, hoc est, de vita æterna, etiamsi in aliqua gente, aut aliquo superiori tempore fides eam latuit sanguinis Christi.* Non enim injustus DEUS, qui justos fraudet mercede justitiae, si eis non est annuntiatum Sacramentum divinitatis, & humanitatis Christi, quod manifestatum est in carne. *Quomodo enim crederent quod non audierunt, aut quomodo audirent sine prædicante? Fides enim ex auditu, sicut scriptum est, auditus autem per verbum Christi. Sed dico, inquit, Numquid non audierunt? In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis usq; ad fines totius terræ prædicatio ipsa perveniat, quoniam non desunt adhuc ultima gentes, licet ut perhibetur sanctissimè, quibus hoc non dum*

fuerit

fuerit predicatum, quid faceret humana natura, vel quid fecit, quæ vel ante hæc non audierat futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in DEUM, qui fecit cælum & terram, à quo & se factam naturaliter sentit, & rectè vivendo ejus impleat voluntatem nullâ fide passionis Christi & resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit, aut potest, hoc ego dico, quod de lege dixit Apostolus. Ergo Christus gratis mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Judeorum, quanto justius dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum. Si per naturam justitiam E. Christus gratis mortuus. Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari: & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & Sacramentum Sanguinis Christi. Quod etiam docet Articulus 20. Augusti: Confessio: Humana vires sine Spiritu sancto plena sunt impiis affectibus, & sunt imbecilliores, quam ut bona opera possent efficere coram DEO. Ad hæc sunt in potestate Diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impii opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmodum est videre in Philosophis, qui & ipsi conati honestè vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide, & sine Spiritu Sancto, & tantum humanis viribus se gubernat. (3) Se indigere medico. Nam natura hominis inquit B. August: loc. cit. primitus inculcata, & sine ullo vitio creata est. Natura verò ista hominis, quæ unusquisq; ex Adam nascitur jam medico indiget, quia sana non est. Omnia quidem bona, quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, à summo Deo habet Creatore & artifice suo: Vitium verò quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat ut illuminatione & curatione opus habent, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato quod commissum est. Ille erit, arbitrio. Ac per hoc natura penalis ad vindictam justissimam pertinet. Si enim jam sumus in Christo nova creatura, tamen eramus naturæ à filii iræ sicut & cæteri. (4) Medicum esse unum illum Jesum Christum. Nam DEUS, qui dives est in misericordia propter multam dilectionem, quæ dilexit nos, & cum essemus mortui delictis convivificavit nos Christo, cujus gratia sumus salvi facti Ephesi: 2. v. 4. 5. A-

brahæ

brahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus non dicit & semini-
 bus tanquam de multis: Sed tanquam de uno & semini tuo, qui
 est Christus Galat: 3, 16. Non est in alio quoquam salus: nec e-
 nim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines in quo oportet
 nos salvos fieri Act: 4, 12. unus est mediator Dei & hominum,
 homo JESUS CHRISTUS, qui dedit semetipsum pretium pro o-
 mnibus 1. Tim: 2. v. 5. (5) Gratiam Christi medici accipi gra-
 tis per fidem. Nam justificamur gratis per illius gratiam, per
 Redemptionem, quæ est in CHRISTO JESU Roman: cap. 3.
 vers. 20. *Hæc igitur Christi gratia, inquit Augustin: loc. cit. pag. 5.
 sine quâ nec infantes nec ætate grandes salvi fieri possunt non meritis red-
 ditur, sed gratis datur propter quod gratia nominatur. Justificati, in-
 quit, gratis per sanguinem ipsius: Unde hi qui non per illam liberantur,
 sive quia audire nondum potuerunt, sive quia audire noluerunt, sive etiam
 cum per ætatem audire non possent, levæ acrum regenerationis, quod accipere
 possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, justè utiq; damnantur, quia
 sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis mo-
 ribus addiderunt, omnes enim peccaverunt sive in Adam, sive in semetipsis,
 & egent gloria Dei. Universa igitur massa penas debet & si omnibus de-
 bitum damnationis supplicium redderet, non injustè procul dubio redde-
 retur. Qui ergò inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suo-
 rum, sed vasa misericordie nominantur. Cujus misericordie nisi illius,
 qui Christum Jesum misit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quos
 prescivit & prædestinavit, & vocavit, & justificavit, & glorificavit! (6)*
 Se in Christum credere, eiq; per fidem esse infitos. Nam justifi-
 cati fide pacem habemus apud DEUM, Rom, cap 5. v. 1. Et nihil
 condemnationis est his qui sunt in CHRISTO JESU qui
 non secundum carnem sed spiritum ambulant, uti
 Paulus in Epist: ad Roman: cap. 8. v. 15.
 loquitur.

SUPERPONDIIUM RESPONDENTIS.

Historia de $\alpha\lambda\lambda\upsilon\sigma\ \mu\acute{o}\ \eta\alpha\beta\omicron\lambda\iota\ \kappa\acute{\eta}$ à Mose antiquissimo illo omnium Historico enarrata, verè sudes est in oculis Præ-Adamitarum Inventori, utpote fabule sua minus congruens. Hinc flectit eam & violenter corquet, quò tandem oborto collo sua genio & hypothefi eam conformet. Nos universalitatem diluvii hæctenus pie creditam & receptam constanter fovemus; Adversarii tela pro particularitate ejusdem (quæ sunt argutiola, suspiciones & conjecturæ) obtusa reddidisse, erit universalitatẽ confirmasse & stabilivisse. Non omnes terrarũ plagas, sed Palestinã & Judæorum terram tantũ inundavisse diluviũ Arguit (1) ex causis Diluvii, quas fingit fuisse, quod Adamigenæ gentes consociatione conjugali cum iis in itã in terram sanctam admiserint, quibus tamen omnem aditum inhibere secundum institutum Dei fas erat. Resp.

(1) Errat, dum filios Dei à filiis hominum non tantũ religione & consociatione conjugali, quod facile largimur, sed & loco & regione seperatos vult, quod nunquam probabitur; Certe oblitus est, Diaboli civitatem civitati DEI, zizania tricitis esse admixta, quod D E U S pro patientia sua tolerat. (2) Errat in causa Diluvii, quæ non tantum fuit consociatio cum filiabus hominum, sed omnigena peccata Matth. 24. 38. 39. Ubi non excipitur peccatum Orig. sicut Moses confirmat Gen. 6, 5. ob quod infantes etiam diluvio sunt submersi. (3) Errat explicando filias hominum per filias Præ-Adamitarum; Nam filia hominum sunt entia realia, quibus tribuuntur prædicata realia; ut nasci, videri, aspectu esse pulchrum, filiis Dei nubere Gen. 6. Filia autem Præ-Adamitarum non sunt entia realia, quippe quæ objectivè tantum sunt in intellectu, & propterea nullum prædicatum reale admittunt, & sunt entia rationis. Arguit

(2) ex Ramo oleæ viridi à culumba emissa, absque dubio ex terris extra Palestinam ab inundatione securis Noæ advecto, cum post annum diluvium in Palæstina totũ plantarum genus emarcuerit. Resp. Fallitur & fallit Mythologus. Fallitur dum sibi imponi passus fuit à Vulgata, quæ illud, virentibus foliis, constanter legit, quod tamen sacer Codex planissime ignorat, sic fluens: $\text{והנהר עלה זורר טרף בפרו}$ & ecce folium olivæ raptum in ore ejus. Sic fons Hebr. hoc argumentum tanquam abeneam murum (quod putat Anonymus) facili ope dirumpit.


frumpit. Fallit (1) dum nomine terra simpliciter dicta Palaestinam intelligit, quam determinationem textus non admittit. (2) Dum per omnes fontes abyssi magna intelligit omnes fontes maris Palaestinarum; nunquam enim probabit, quod abyssus illa magna sit mare Palaestinarum. (3) Dum novo ficto miraculo campos superioris Asia elatiores, & ceteras ferarum plagas extra Palaestinam & terram Judaicam positas, unde Columbarum ex olea virente legerit, ab inundatione universali liberat, in os contradicens Spiritui S. per Mosen Genes. cap. 7. v. 19. ita loquenti:


ויכסו כל ההרים הגבוים אשר תחרת כל השמים :

Et oportet sunt omnes montes excelsi sub omni caelo. Arguit (3) ex Josepho, aliisque Profanis Historicis. Resp. Josephus quidem dicit: In arca Princeps nostri generis est servatus; inde autem non colligere debet Adversarius quod in arca non sit servatus Princeps generis humani. Nam Philo Judaeus lib. 2. de vita Mosis pag. 423. Noam expresse vocat authorem instaurati humani generis. Cujus sententiae tantum abest, ut contradicat Josephus, ut etiam illi omnino adstipuletur. Sicut enim de Adamo scribit Philo lib. de Mundi opif. pag. 21. Ille autem Princeps, homo terrigena, Princeps totius generis nostri, non ut inde colligatur, quod ille duntaxat fuerit Princeps totius generis Judaeorum (nam lib. de Nobil. pag. 574. Adamum appellat primum terrigenam simpliciter) ita quoque Josephus de Noa non scripsit, in arca Princeps nostri generis est servatus, ut neget Principem & Authorem instaurati generis humani in arca esse servatum. Nam lib. 1. Antiquit. cap. 4. dicit: Quod totum genus humanum sit abolitum excepto Noacho cum familia: sicut ante ipsum testatus erat Philo, qui lib. de Nobil. loc. citat: scribit: Diluvium omnes civitates delevit funditus, inundatis nempe vi aquarum montibus etiam cellissimis, solus Noa una cum familia servatus est. Quod convenit 1. decreto divino de diluvio totae terrarum orbi immittendo Gen: 6, 7. 2. decreti illius manifestationi v. 11. 13. 17. 3. ipsi diluvio orbi terrarum immisso, illius enim objectum fuit omnis caro, omne corpus vivens, quod fuit in superficie terrae, tum homines, tum pecudes, reptilia, & volucres caeli. Cum relictus est superficies tantum Noa, & que cum eo fuerunt in arca Gen. 7, 21. 22. 23.

Plura pagina non capit.

96) : (90






SUPERPONDIIUM RESP

Historia de κατὰ λυσιμὴν καθολικῶν à M
 um Historico enarrata, verè sudes est in
 ventori, utpote fabula sua minus congruens.
 ter torquet, quò tandem oborto cello sua g
 former. Nos universalitatem diluvii hæc
 constanter fovemus; Adversarii tela pro parii
 argutiola, suspiciones & conjectura) obtusa
 confirmasse & stabilivisse. Non omnes terrarū
 orum terram tantum inundavisse diluvium
 quas fingit fuisse, quod Adamigenæ gente
 li cum iis initā in terram sanctam adm
 mnem aditum inhibere secundum instit
 (1) Errat, dum filios Dei à filiis hominum no
 deratione conjugali, quod facile largimur, se
 vult, quod nunquam probabitur; Certe obli
 vitari DEI, zizania tricitis esse admixta, q
 sua tolerat. (2) Errat in causa Diluvii, qu
 cum filiabus hominum, sed omnigena peccata
 excipitur peccatum Orig. sicut Moses confir
 tes etiam diluvio sunt submersi. (3) Err
 per filias Pre-Adamitarum; Nam filia homi
 bus tribuuntur prædicata realia; ut nasci,
 filiis Dei nubere Gen. 6. Filia autem Pre-
 realia, quippe qua objectivè tantum sunt i
 nullum prædicatum reale admittunt, & ja
 (1) ex Ramo oleæ viridi à culumba emi
 extra Palestinam ab inundatione securi
 annum diluvium in Palæstina totū pla
 Resp. Fallitur & fallit Mythologus. Fallit
 Vulgata, quæ illud, virentibus foliis, cons
 Codex planissime ignorat, sic fluens: פרו
 & ecce folium olivæ raptum in ore ej
 mentum tanquam abeneam murum (quod

FIS.

illo omni-
 mitarum In-
 n & violen-
 si eam con-
 & receptam
 m (qua sunt
 niversalitatē
 linā & Juda-
 is Diluvii,
 e conjuga-
 s tamen o-
 erat. Resp.
 one & confu-
 one seperatos
 civitatem ci-
 ro patientia
 it consociatio
 g. Ubi non
 quod infan-
 tias hominum
 e realia, qui-
 sse pulchrum,
 n sunt entia
 propterea
 is. Arguit
 bio ex terris
 o, cum post
 emarcuerit.
 i passus fuit à
 d tamen sacer
 והנה ערה
 ebr. hoc argu-
) facili ope di-
 frumpit.



the scale towards document